

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2022-2023
À rendre avant le mercredi 21 décembre (casier au DSA)

Version latine n°7 : le poète et son amant

Conseils éclairés du poète à l'usage des amateurs de garçons.

Tu, puero quodcumque tuo temptare libebit,
cedas : obsequio plurima uincet amor.
Neu comes ire neges, quamuis uia longa paretur
et Canis arenti torreat arua siti,
quamuis praetexens picta ferrugine caelum
uenturam anticipet imbrifer arcus aquam.
Vel si caeruleas puppi uolet ire per undas,
ipse leuem remo per freta pelle ratem.
Nec te paeniteat duros subiisse labores
aut opera insuetas adteruisse manus ;
nec, uelit insidiis altas si claudere ualles,
dum placeas, umeri retia ferre negent.
Si uolet arma, leui temptabis ludere dextra ;
saepe dabis nudum, uincat ut ille, latus.
Tum tibi mitis erit, rapias tum cara licebit
oscula : pugnabit, sed tamen apta dabit ;
rapta dabit primo, post adferet ipse roganti,
post etiam collo se implicuisse uelit.
Heu ! male nunc artes miseras haec saecula tractant :
iam tener adsueuit munera uelle puer.
At tu, qui uenerem docuisti uendere primus,
quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.
Pieridas, pueri, doctos et amate poetas,
aurea nec superent munera Pieridas :
carmine purpurea est Nisi coma ; carmina ni sint,
ex umero Pelopis non nituisset ebur.
Quem referent Musae, uiuet, dum robora tellus,
dum caelum stellas, dum uehet amnis aquas.

Tibulle